MELETEMATA

DE

ASTHMATE THYMICO

MORBO ADHUC VALDE DUBIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA

GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ET PUBLICE DEFENDET A. MDCCCXXXVI.

DIE XXI. MARTII

CHRIST. BECKER,

MONTANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

WILH. SCHOELER, M. Dd.

IUSTIN. SELS, M. C.

FRID. BAUSCH, M. C.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

Veniet tempus, quo ista quae nunc latent, in lucem dies extrahat, et longioris aevi diligentia.

Seneca, Nat. quaest. 7, 25.

VIRO AMPLISSIMO ILLUSTRISSIMO

Dr. H. KILIAN,

PROF. PUBL. ORD.,

MODERATORI XENODOCHII OBSTETRICII BONNENSIS, SOC. LITT. PLUR. SOD. ETC. ETC.

PRAECEPTORI SUMME COLENDO,

I. G. BURMAN-BECKER,

COGNATO AESTUMATISSIMO

PHILOSOPHIAE DOCTORI HAFNIENSI DANO,

F. W. BECKER,

FRATRI CARISSIMO

REI DIVINAE MINISTRO VOLBERGENSI

D. D. D.

GRATO ANIMI SENSU

SCRIPTOR.

LECTORIBUS

S.

Quum omnes hodie omnium artium Candidati, iubente et lege et more antiquo, praeter subeunda examina commentationem etiam divulgare ac publice defendere debeant, priusquam ad summos in Ordine suo honores promoveantur; ego quoque haud exiguam antehac dedi operam inveniendae materiae, cuius explanatio et Virorum Doctorum satisfaciat iudicio, et hominis in re medica parum versati viribus quodammodo sit accommodata. Suadente tandem pariter atque consilium suppeditante Ill. Professore Doctore Kilian, de asthmate thymico, morbo quidem post varias etiam variorum medicorum inquisitiones satis obscuro, disserere pauca decrevi. Qua causa ductus eidem Viro Doctissimo, a quo iam accepi beneficia, et brevi, ut spero, tempore, concedente Spectatissimo Decano, accepturus sum Doctoratus honorem, hoc qualecunque tironis opusculum censui esse dedicandum. Profuerunt mihi aliorum quoque Professorum subsidia, quos inter praecipue hic

nominandi sunt Ill. E. Bischoff, Ill. Harless, Ill. Naumann, Ill. Mayer, Ill. Weber.

Rogatos postremo velim et hos, et alios quoscunque medicinae peritos, ne severiorem in examinanda hac dissertatione trutinam adhibeant, ne Doctorum Virorum quaerant acumina in adolescentis opusculo, cuius voluntas pro factis quadamtenus videtur accipienda. Scriptori quidem sufficiet, si observationum sententiarumque comparatarum ratio non plane reperiatur reiicienda.

THESES.

1. *Venae etiam resorptioni inserviunt.*
2. *In secretione maximi momenti sunt nervi.*
3. *Sonus cordis primus a contractione ipsa musculari pendet.*
4. *Generatio aequivoca negari nequit.*
5. *Non quivis morbus complicatus chronicus est.*
6. *Delirium tremens etiam ex detractione irritamenti proficisci potest.*
7. *Non pressu cerebri efficitur paralysis.*
8. *Punctio vesicae urinariae supra ossa pubis instituta ceteris methodis praeferenda.*
9. *Evolutio spontanea a medico obstetricio expectari non licet.*
10. *Indicatio ad forcipem applicandum, quae sola dynamica eius virtute nitatur, nulla.*

SECTIO I.

§. 1.

De asthmate in universum.

Nomen asthmatis (το ἄσθμα), quod anhelationem secundum Riemerum [1]) significat, tanquam derivatum ab halando (ἄζω), quod verbum a Krausio [2]) cum synonymis ἀάζω, ἀσθμάζω, ἀσθμαίνω, a Kühnio [3]) autem cum ἄω, ἄζω aliisque comparatur, iam a Plinio [4]) in Latinam linguam receptum est.

§. 2.

Asthma seu anhelitum Aretaeus [5]) quidem adesse iudicat, »si a cursu et exercitatione aut alio quovis opere spiritus aegre trahitur«; Celsus [6]) autem, »si spirare aeger sine sono et anhelatione non potest.« —

---

1) Fried. Wilh. Riemer, griech. deutsches Wörterbuch.
2) L. A. Kraus, kritisch-etymologisch-med. Lexicon. II. Auflage. Göttingen 1826.
3) L. A. Kraus, Nachtrag zu dem kritisch-etymol.-med. Wörterbuche. Göttingen 1832.
4) Plinii historia naturalis lib. 20, 84. 26, 19.
5) Aretaei Cappadocis opp. edidit Kühn. p. 102.
6) Corn. Celsi de medicina lib. VIII. edd. Albers et Ritter p. 122.

»Describi asthma potest,« ait Willisius 7), »quod sit respiratio difficilis, crebra et anhelosa, cum magna pectoris agitatione, et plerumque citra febrem«; idemque paulo post loquitur de crebris *paroxysmis*, et de cura tam in *paroxysmo* quam extra *paroxysmum*. — Helmontius 8) asthma vocat »malum caducum sive epilepsiam pulmonis, ubi unico velut insultu anhelitus (i. e. respiratio) quasi praeciditur abrupto filo: — — tandem peracto paroxysmo etc.« — Friderici Hoffmanni 9) verba sunt: »Asthma vero secundum nostram sententiam nihil est, quam impedita et laboriosa admodum respiratio, cum ineffabili anxietate et praecordiorum angustia iuncta, liberum sanguinis per pulmones circuitum turbans, a variis causis suborta, periculi suffocationis non expers.«

Naumanno 10) auctore asthma [quod aegritudinis genus est] significat »ingentem spiritus angustiam, quandoque, idque noctu imprimis, disparibus plerumque intervallis exorientem.« — Hopius 11) asserit, »in quovis asthmatis genere, quam aegritudinem a vitiis cordis saepissime pendere censet, tanquam causam pri-

---

7) Thomae Willis opp. Amstelodami 1686. Tom. II. sect. 1, 12.

8) Ioannis Bapt. ab Helmont opp. Francoforti 1682. p. 345, 47, 56.

9) Frid. Hoffmanni opera omnia physico-medica. T. III. Sect. 11, 2.

10) Mor. Naumann, Handbuch der med. Klinik. Berlin 1829. Bd. I. S. 565.

11) Hope Dr. James, Krankheiten des Herzens und der grossen Gefässe, übers. von Becker. Berlin 1833. S. 282.

mariam constantem reperiri abnormem sanguinis oxygenationem spiritumque inde interclusum.« Pro verisimili tamen ipsi habetur (p. 287) »per unicam tantummodo causam organicam provocari asthma non posse, neque provocari unquam, nisi eiusmodi adsit status systematis nervorum abnormis, qui spasmodicam efficiat tracheae constrictionem. — Williams [12]) dicit: »— — verum in his casibus fere omnibus [in catarrho scilicet sicco, pituitoso, emphysemate pulmonum, morbis cardiacis] tam subito apparet accessio asthmatica, tamque celeriter decurrit, ut ex solis his diversis statibus pathologicis deduci non possit.« Concludere igitur licet ex omnibus his hucusque allatis, systema nervorum in provocando asthmate multum valere. — Ceterum iam Cullen [13]) causam asthmatis proximam dixit abnormem quandam contractionem fibrarum, quae musculis bronchiorum insunt. Spasmodica haec constrictio fibrarum musculorum, quae quidem ad Reisseisenii [14]) usque tempora nonnisi hypothetice supponebantur, a Laennecio [15]) per stethoscopum cognita est. — Wilson Philippus [16]) praeterea hoc asthma mere spas-

---

12) Williams, Pathologie und Diagnose der Krankheiten der Brust übersetzt von Velten. Bonn 1835. S. 63.

13) William Cullen, Anfangsgründe der praktischen Arzneikunst. 2te Ausgabe. Leipzig 1789. 3. Bd. S. 430.

14) Reisseisen, über die Structur, die Verrichtung und den Gebrauch der Lungen. Berlin 1808. S. 15.

15) Laennec, Traité de l'Auscultation médiate. Ed. seconde. Paris 1826. vol. II. p. 86.

16) Wilson Philipp, über die Gesetze des Lebens übers. von Dr. v. Sontheimer. Stuttgart 1822. S. 273.

modicum perraro occurrere censet, quippe quod ipse nonnisi bis potuerit observare.

SECTIO II.

§. 3.

De asthmate thymico.

Koppius [17]) primus novam hanc asthmatis speciem constituit, et *thymicum* nominavit, quia turbatum sanguinis circuitum et oxygenationem, cuius symptomata postea ex ipsius libro enumerabimus, provocari putat per glandulam thymum hypertrophicam, qua cor, pulmones et vasa maiora premuntur.

§. 4.

Nunc proponere quaedem liceat de glandulae thymi situ, figura, structura, functionibus et morbis. Praeter Rufum Ephesium [cuius libellum de corporis humani partium appellationibus L. 1, 26 laudat Sam. Christ. Lucae [18])] multa iam de hac glandula disseruit Galenus [19]), eaque dicit sustineri venam cavam superiorem et eius propagines fultas stabiliri. »Id vero naturae est proprium« addit postea, »ut, quoties vas sublime dividit, ibi mediam glandulam divisionem ipsam oppleturam interponat.«

---

17) Kopp, Denkwürdigkeiten in der ärztlichen Praxis. Francfurt 1830. I. Bd. S. 22. 24.

18) Dr. Sam. Christ. Lucae, anatomische Untersuchungen der Thymus in Menschen und Thieren. Francfurt 1811. Bd. I. S. 8.

19) Claud. Galeni opp. edidit Kühn. T. III. p. 424.

Accuratius eam perscrutatus est **Wharton** [20]) eique purificationem chyli tribuit. — Maioris tamen momenti sunt **Halleri** [21]), **Hewsoni** [22]), **Lucae** [23]), **Haugstedii** [24]), **Cooperi** [25]) aliorumque disquisitiones [26]).

Sita est haec glandula thymi post sternum in cavo mediastini anteriore, ante pericardium et vasa sanguinis supra pericardium iacentia. Eximiae in neonatis magnitudinis est, ita ut magnam partem tegat anterioris superficiei pericardii, arcus aortae et arteriarum ex hac ascendentium, aortae pulmonalis, venae iugularis sinistrae et dextrae et venae cavae inferioris, sursumque se extendat usque ad glandulam thyreoideam. Quantum ad formam attinet, longitudo a margine superiore ad inferiorem maxima est, minor latitudo a

---

20) Whartoni Adenographia sive glandularum totius corporis descriptio. Amstelodami 1669. p. 100.

21) August Ludwig de Hugo (praes. Halleri) Dissertatio de glandulis in genere et speciatim de Thymo. Göttingen 1746.

22) W. Hewson, Experimental Inquiries part the third by Magnus Falconar. London 1777.

23) Lucae l. l.

24) Chr. Haugsted, Thymi in homine ac per seriem animalium descriptio anatomica, pathologica et physiologica, iconibus 34 ad naturam delineatis illustrata. Hafniae 1832. cf. Heckers Annalen der gesammten Heilkunde. 9. Jahrgang 1833. S. 54.

25) Astley Cooper the anatomy of the Thymus gland. Lond. 1832. cf. Müllers Handbuch der Physiologie des Menschen. Coblenz 1834. 1. Bd. S. 559.

26) Hildebrandt, Handbuch der Anatomie des Menschen von E. H. Weber. 4ter Bd. Braunschweig 1832. p. 194.

dextra ad sinistram, crassitudo autem a parte anteriore ad posteriorem minima. Margo tam summus quam infimus in duo desinit cornua hebetia, quorum superiora sunt tenuiora [dextrum plerumque longius], inferiora autem crassiora et hebetiora. Constat secundum Lucae [27]) observationes ex tribus ad sex lobis, hi ex lobulis, lobuli vero ex granis minutissimis, quae sub ipso microscopio apparent indivisa. Cavernam cuivis lobulo inesse volunt; quae quidem cavernae, teste Coopero [28]), communem inter se habent cohaerentiam.

Thymum glandulam in embryo ad tertium usque mensem exiguam esse Meckelius [29]) contendit, Burdachius [30]) eam hebdomade nona iam vult cognosci. Succum in embryone atque neonatis continet subalbum, lacti [31]) similem; cellulosa [32]) est, ad instar glandularum lymphaticarum, et multa continet vasa lymphatica, ut narrat Haugstedius [33]). Quodvis thymi cornu in foetu vitulino, affirmante Coopero [34]), magnum emittit ductum lymphaticum, qui in utriusque venae iugularis iunctura terminatur in venam cavam

---

27) Lucae l. c. Tom. I, p. 17, 20.
28) Cooper l. c. p. 559.
29) Meckel, pathologische Anatomie. Leipzig 1812. 1. Bd. S. 485.
30) Carl Fried. Burdach, die Physiologie als Erfahrungswissenschaft. II. Bd. Leipzig 1828. p. 386.
31) Treviranus, Biologie. Göttingen 1814. 4. Bd. S. 536.
32) Hewson l. c. p. 84.
33) Haugsted l. c. p. 58.
34) Cooper l. c. p. 559.

superiorem. Iam Verheyenius [35]) animadvertit, crescere thymum etiam post partum: crescit quidem, si Hewsono [36]) et Lucae [37]) credimus, usque ad finem anni primi pari passu atque reliquae corporis partes; inde ab hoc tempere usque ad tertium annum neque augetur neque minuitur; inde usque ad decimum sensim sensimque, per insequens autem quadriennium celerius minuitur, donec ligamentosa tantummodo [ut Hewsoni verbis utar p. 86 l. l.] particula tandem remaneat, quae reticuli paulatim speciem adsumit. Pari modo vasa sanguinis minuuntur tandemque clauduntur. Cooperus [38]) hanc glandulam maiorem esse ait in masculo corpore quam apud foeminas. Pondus thymi iuxta Hallerum [39]) et Tiedemannum [40]) adaequat 160—180 grana; in debilibus autem infantibus secundum Haugstedium [41]) drachmam unam. Functiones eius adhuc ignotae.

Pallas et Tiedemannus [42]) in muribus montanis [marmota Linnaei] somno hiberno oppressis eam observarunt, et nonnullas ipsius ad pulmonum functiones

---

35) Verheyen corporis humani Anatomia. Bruxellis 1726. lib. I. p. 160.

36) Hewson l. c. p. 86.

37) Lucae l. c. 1. Bd. p. 15, 41.

38) Meckel, pathologische Anatomie. I. Bd. p. 491.

39) Halleri Elementa physiologiae corporis humani. Lausannae 1761. Tom. III. p. 114.

40) Tiedemann in Kopps Denkwürdigkeiten l. c. p. 25.

41) Haugsted in Hufeland's Journal 1835. 7. Stück. p. 21.

42) Meckel, deutsches Archiv für die Physiologie. I. Bd. p. 484.

et sanguinem relationes invenisse sibi videntur; quare cordis etiam pulmonumque morbis plerumque affici solet: quam opinionem praeter thymi situm absentia quoque thymi [43]) intestinis pectoris absentibus, videtur eonfirmare. Similia doctorum virorum placita prolata sunt de glandulis suprarenalibus, quae pari modo maxime perfecta apparent in foetu [44]), post partum haud multum crescunt [45]), similem continent succum [46]) ac prope vasa maiora sitae sunt. Thymi in avibus absentia (si quidem verum vidit Haugstedius [47])) in dubium, ut videtur, vocare potest huius organi utilitatem in respirando. Ceterum non semper deest thymus, quando pectoris organa principalia desiderantur [48]).

Glandulae huius relatio ad pulmones et ad systema vasorum sanguinis iudice Meckelio [49]) (contra Prünellium) dynamica est.

Treviranus [50]), Haugstedius [51]) et Müllerus [52]) nutritioni eam inservire credunt, quum pe-

---

43) Brodie, cf. Wissenschaftliche Annalen der gesammten Heilkunde von Hecker. Berlin 1833. Bd. 25. p. 63.

44) Lobstein, Traité d'Anatomie pathologique. Paris 1829. T. I. p. 74.

45) Hildebrandt l. c.

46) Treviranus l. c. 4. Bd. p. 541.

47) Haugsted l. c. p. 61.

48) Cooper, cf. Heckers Annalen l. c. p. 63.

49) Cuivier, Vorlesungen über vergleichende Anatomie, herausgegeben von Meckel. 4. Bd. p. 723.

50) Treviranus l. c. p. 544.

51) Haugsted l. c. p. 66.

52) Müller l. c. p. 560.

culiarem materiam albuminosam per vasa lymphatica in venas emittat.

Burdachius [53]) relationem adesse putat inter thymum, quippe quae paulo ante pubertatem fere evanescat, et organa genitalia.

Dr. Bow [54]) glandulam thymi receptaculum habet, quo vis nervorum statim post partum ad respirationem necessaria servetur.

§. 5.

De glandulae thymi mutationibus morbosis.

Varii generis mutationes pathologicae invadere possunt thymum, ut hypertrophia, tumor, durities, scirrhus, suppuratio; in putredinem (?) eadem incidere potest, iu atrophiam, in conditionem scrofulosam; indurationes aliquando continet tum cretae tum lapidibus similes; ossificari etiam potest, atque in massam aut caseo aut adipi similem degenerare. In senum praeterea corpore nonnunquam adest, in monstris potest abesse: scriptores hanc rem additis casibus illustrantes enumerantur a Koppio [55]), quibus addendi Veren [56]), Brechet [57]), Ennemoser [58]), Schnei-

---

53) Burdach l. c. 3. Bd. Leipzig 1830. p. 313.

54) Schmidt, Jahrbücher der in- und ausländischen gesammten Medicin. Jahrgang 1836. 9. Bd. 1. Heft. p. 7.

55) Kopp l. c. p. 37.

56) Veren in Froriep's Notizen aus dem Gebiete der Naturkunde. XII. Bd. p. 23.

57) Froriep's Notizen l. c. 4. Bd. p. 120.

58) Ennemoser über die nähere Wechselwirkung des Leibes und der Seele. Bonn 1825. p. 34.

der [59]), Haugsted [60]), Caspari [61]), Conradi [62]), Brück [63]), Wunderlich [64]), Pittschaft [65]), Fingerhuth [66]), Kornmaul [67]), Hirsch [68]) et Finkh [69]).

§. 6.

De morborum glandulae thymi symptomatis.

Phaenomena glandulae thymi morborum si consideramus, turbatam quidem plerumque invenimus respirationem, indolem tamen turbationis valde incertam, et organa respiratoria aliis simul morbis fere semper

---

59) Schneider, in Hohnbaum und Jahn med. Conversationsblatt 1830. No. 46.
60) Haugsted l. c. p. 68.
61) Caspari in den Heidelberger klinischen Annalen. 7. Bd. p. 240, 250.
62) Göttinger gelehrte Anzeigen 1832. 1. Bd. p. 313.
63) Brück im med. Conversationsblatt von Hohnbaum und Jahn 1832. No. 22.
64) Wunderlich im Correspondenzblatt des Würtembergischen ärztlichen Vereins 1832. No. 7. cf. Hufeland's Journal 1835. 7. Stück. p. 8.
65) Pittschaft im med. Conversationsblatt l. c. 1832. N. 28.
66) Fingerhuth in Caspers Wochenschrift. 1835. Stück 36, 37.
67) Kornmaul, Inaugural-Dissertation über das Asthma thymicum. Zweibrücken 1834, 1. u. 3. Fall.
68) Hirsch im neuen Journal der praktischen Arzneikunde und Wundarzneikunst von Hufeland und Osann. 74. Bd. 1. Stück. p. 36, 38.
69) Finkh, Ueber den sporadischen Starrkrampf der Neugebornen, mit einer Vorrede von Elsässer. Stuttgart 1835. p. 47.

afflicta; praeterea dolorem nonnullis in casibus prementem sub sterno et deglutitionem impeditam.

Gottl. Buddaeus [70]) aperuit virum quendam annorum circiter 32, a prima infantia respiratione difficili laborantem illaque demum asthmatis specie, quam orthopnoeam vocant, denatum, et observavit glandulam thymum magnam in molem excretam, — massamque induratam, scirrhosam, et quasi cartilagineam, instar strumae vel potius steatomatis, vasis illis magnis adscendentibus, nimirum venae cavae arteriaeque magnae eorumque ramis ad brachia et scapulas euntibus ipsique iugulo fortissime adnatam, adeoque totam illam cavitatem thoracis superiorem occupantem, ut pro motu ac ventilatione pulmonum nullum amplius spatium suppeteret. Cor fuit extraordinariae magnitudinis. Totum pulmonum parenchyma intumescens et costis adhaerebat, ipsam vero illorum substantiam lividam et nigricantem invenit.

Bonetus [71]) militem gregarium recens conscriptum quinquagesimum annum transgressum, enteroceles molestias declinaturum castrationi submisit, quae faciliter est peracta. Tertia post hebdomade rite omnibus se habentibus ac consolidatione vulnerum iam proxima, quum per urbem vagari iam inciperet, difficultate deglutiendi prehenditur cum difficili respiratione. Tertio die Bonetus arcessitur. Lingua praeter apicem

---

70) Academiae Caesareo - Leopoldinae nat. curios. Ephemerides sive Observationum med. phys. Cent. I. et II. obs. 107.

71) Boneti Sepulchretum sive Anatomiae practica. Genevae 1700. lib. I. sect. 24. obs. 2.

atro carbone erat nigrior; erecto pectore aegrotus cubabat, et si quid e cochleari offerretur, suffocationem inducebat. Sectio cadaveris dedit glandulam thymum intumescentem, atro sanguine refertam, tracheam prementem; exsudabat per sectionem factam sanies. Pulmones iuxta dorsum se praebebant inflammatos et creberrimis maculis nigris conspersos cum gangraenae indiciis evidentibus.

Sequentem casum refert Morgagni [72]. Puella annorum 13 semper valetudinaria de laboriosa respiratione querebatur cum tussi, sputo crasso et ventris intumescentia. Pulsus erat celer, durus et parvus. Saepius urgebat pectoris angustia. Tandem famelica et siticulosa inter insultum graviorem repente obiit. — Praeter seri flavi in abdomine stagnantis copiam conspiciebatur lien nigricans et praedurus. In thorace maiori aquae copia scatente observabatur thymus mole maior. Pericardium seri flavi uncias quinque continebat. Dextra cordis auricula ita erat distenta, ut magnitudinem cordis ferme aequaret. Uterque ventriculus polyposa concretione replebatur.

Gonellius et Tozzettius [73]) virum observabant mortuum anno quinquagesimo septimo propter thymum morbose amplificatam. Viventem invadebant praecipue spiritus angustia, pavor, in dextro pectoris latere dolor premens, pulsus irregularis et rarior. Aegrotus nonnisi sinistro lateri incumbere poterat. Facies subli-

---

72) Joan. Bapsist. Morgagni de sedibus et causis morborum per anatomen indigatis. XVII, 10.

73) Eschenbachs vermischte med. und chirurgische Bemerkungen. Samml. I. p. 3.

vida, sensus caloris incommodus sub sterno. Sumtis alimentis augebantur semper symptomata. Iam sub initium morbi vehementem corporis contentionem multumque sermonem sequebatur pectoris dolor et angustia. Pridie quam moriebatur pulsus 17 ictus habebat in sexagesima horae parte, atque ex inopinato aegrotus exspiravit, nullo mortis angore pressus. — Sectio thymum ostendebat induratam novem unciarum. Pulmo sinister erat ex nigro rubicundus, iusto minor, inflammatus, pleurae arctissime adnatus. Per quadriennium defunctus aegrotaverat, ad quinquagesimum tertium usque aetatis annum optima usus valetudine.

Casparius [74]) in puella sedecim annorum thymum observabat gravem circiter libram. Haec puella antea semper sana fuerat et nonnisi circa finem vitae montes adscendens querebatur de respiratione difficili: simul emacrescebat, tussi sicca afficiebatur, qua interdum sanguinolenti quidam globuli mucosi excreabantur, et languore potius quam respirationis difficultate lecto detinebatur: quam ob rem, absentibus certis symptomatis, causam morbi internam invenire perdifficile erat. Sub finem oedema extremitatum. Praeter abnormem thymi magnitudinem pulmo sinister tuberculorum formationem ostendebat; pericardium aliquot uncias seri continebat. Ad nonnullos horum casuum attinet Meckelii [75]) sententia, thymum plerumque non obliterari neque evanescere, sed conservari in illis pulmonum morbis et abnormibus cordis formationibus, quae

---

74) Heidelberger klinische Annalen. 7. Bd. p. 240.
75) Meckel, pathologische Anatomie. I. Bd. p. 491.

oxygenationem sanguinis impediunt, sive in casibus similibus. Minus tamen probabilis eiusdem viri (c. l.) videtur opinio, thymum regenerari posse. — Verum non semper persistente abnormi glandula thymi, adesse necessario difficultatem respirationis vel ex Haugstedii 76) observatione apparet; is enim in puella septem annorum, quae hydrocephalo erat abrepta, neque ulla spiritus angustia laboraverat, instituta sectione praeter scrofulosum corporis callosi in cerebro tumorem reperiebat thymum quinque unciarum. — Sequentem casum debeo Illust. Proff. Doctori Mayer et Doctori Weber, praeceptoribus meis semper colendis. Hi viri de arte medica meritissimi, qui etiam in dissectis quinquaginta vel sexaginta annorum individuis saepius thymum invenere, in cadavere autophoni annorum circiter 24, qui vivens praeter ingentem somnolentiam nullam functionum turbationem passus erat, persistentem videre glandulam thymi abnormem quinque digitos longam, latam vero quatuor digitos et dimidium; gravem duas uncias ponderis civilis.

§. 7.

Asthmatis thymici Symptomatologia.

Quum de organo corporis humani, glandula scilicet thymi eiusque morbis sermo hucusque fuerit, transire nunc liceat ad morbi illius, cui thymici asthmatis nomen Koppius 77) imposuit, symptomata secundum huius ipsius viri sententiam enumeranda.

---

76) Haugsted l. c. p. 68.
77) Kopp l. c. p. 21.

1. Spiritus disparibus intervallis interclusus cum clamore acuto et indicio anxietatis.
2. Infans aegrotus tum praecipue has accessiones asthmaticas patitur, quum expergiscitur e somno; practerea etiam in vagitu et in glutiendo potu (Verschlucken).
3. *Lingua promissa inter labia*, tanquam constans phaenomenon.
4. In sectione: glandula thymi abnormis et solito maior.

§. 8.

Aetiologia.

Asthmatis thymici causam esse glandulam thymi amplificatam Koppius, uti supra iam dixi, primus censuit: quod recentiori tamen aetate multifariam 78) in dubium vocatum est. Et probabile certe non videtur, per hypertrophiam huius glandulae ratione mere mechanica, nullis valetudinis adversae symptomatis praecedentibus, peculiarem asthmatis speciem constitui posse. Qualitative autem, ut vocant, alienationes thymi — quod organum tam constanter in una solummodo animalium classe cernitur [et id quidem in mammalibus, auctore Haugstedio 79)], quod perraro etiam in mon-

---

78) Caspari l. c. Pagenstecher l. c. Rösch im Journal der praktischen Heilkunde von Hufeland und Osann. Jahrgang 1836. 82. Bd. 1. Stück. p. 96. Eandem sententiam fert Ill. Harless, quam pro solita sua benignitate mecum communicavit.

79) Haugsted l. c. p. 61.

stris [80]) desideratur — vim quandam in corpus exercere haud improbabile est. Naumannus [81]) quoque ait: »si infantes diuturna premuntur dyspnoea, absentibus quidem et cyanosis et bronchitidis chronicae symptomatis, — decrescente praesertim murmure respiratorio intra pectus, — coniectura quodammodo probabili concludere licet, morbosam thymi conditionem in causa esse

Constat inter omnes, singula asthmatis thymici symptomata in singulis quibusdam aliorum organorum morbis occurrere, — veluti clamor iste acutus et quasi crocitans iu asthmatis Millari specie a Wigandio [82]) descripta, — sonus quidam raucus, eiulans, sibilans, pipiens (qualis etiam in angina membranacea auditur) in Atelektasi neonatorum Jörgii [83]) — promissa lingua, tanquam asthmatis thymici phaenomenon constans secundum **Koppium** [84]), in glossocele [85]), paralysi [86])

---

80) De Mostri umani di Vincenzo Malacarne, Professore di Padova. p. 13.

Wath, im Magazin der ausländischen Literatur der gesammten Heilkunde und Arbeiten des ärztlichen Vereins zu Hamburg von Gerson und Julius. Jahrgang 1831. 21. Bd. p. 323.

81) Naumann l. c. II. Bd. p. 69.

82) Hamburger Magazin für Geburtshülfe, 1. Bd. 1. Heft.

83) Dr. Ed. Jörg, die Fötuslunge im gebornen Kinde, für Pathologie, Therapie und gerichtliche Medicin. Grimma 1835. p. 28.

84) Kopp l. c. p. 22.

85) Conradi, Handbuch der allgemeinen Pathologie und Semiotik. 3te Auflage. Marburg 1822. p. 346.

86) Albers, Lehrbuch der Semiotik für Vorlesungen. Leipzig 1834. p. 282.

et hypertrophia [87]) huius organi, nec non interdum in cyanosi [88]) —: neque minus constat, a quovis asthmate noctu [89]) praesertim aegrotum invadi. Licet *singula* haec symptomata in aliis morbis aeque ac in asthmate thymico observata hypothesin antea propositam non valeant evertere, *universus* tamen eorum complexus occurrit in individuis, quae dissecta magnitudinem thymi minime ostendunt abnormem.

Casparius [90]), qui morbum a nobis tractatum vicies circiter, et epidemicum semel vidisse se testatur, contra ipsius ortum ex hypertrophia thymi haec affert:

1. Impetus suffocationis, sicuti bene percipitur, oriuntur e tracheae et bronchiorum constrictione.
2. Constans illa et simplex respirationis anomalia, quae hic apparet, non ducit ut videtur originem ab organo morboso extra respirationis organa posito, quod modo hac modo illa ratione cum ipsis cohaeret: effectus enim, qui ab exterioribus originem ducunt, inconstantem ac variabilem prae se ferunt indolem. Cuius rei exemplum praebent varia formationum mediastini monstrosarum symptomata.
3. Epidemica natura non favet opinioni de vitio organico.
4. Convalescentia saepe festinans est, et remedia antispasmodica [91]) cum successu adhibentur.

---

87) Chelius, Handbuch der Chirurgie II. Bd. Heidelberg und Leipzig 1833. p. 328.

88) Kornmaul l. c. p. 14.

89) Hope l. c. p. 294.

90) Caspari l. c. p. 233, 238.

91) Nonne observationes factae in aliis morbis communi-

Quare etiam credit Casparius (p. 239), thymi amplificationem in casibus Koppii per morbosa organa respiratoria provocari; morbum vero hunc appellat »asthma periodicum acutum.«

In glandulae thymi malis considerandum est, ait Naumannus 92), hoc organum fere semper affici tantum ab aliis organis primarie affectis: qua in re pulmonum praecipue ratio habenda est.

Pagenstecheri 93) verba sunt: »In infantibus cum libera minimeque turbata respiratione natis, qui post plures demum menses eiusmodi malis afficiebantur, thymi glandula, etiamsi amplificata in dissecto cadavere invenitur, minime tamen causa statim morbi et mortis appellari poterit. Quod sophisma »cum hoc ergo propter hoc« haud semel in anatomiae pathologicae praeceptis est commissum.

§. 4.

Morborum historiae infra propositae demonstrabunt, asthmatis thymici symptomata a Koppio enumerata observari, ubi sectio thymum minime amplificatam ostendit.

---

cataeque a sagacissimo F. A. Richter in eius libro: »Die endermische Methode. Berlin 1835« in animum nobis inducant, adhibere hanc methodum in hocce quoque morbo?

92) Naumann l. c. II. Bd. p. 69.

93) Heidelberger clinische Annalen 7. Bd. p. 286.

A. *Casus notatu dignissimus, quem Pagenstechero 94) debemus.*

Mulier quaedam A., 43 annos nata, ante hoc septennium viro nupserat et post annum peperit puerulum rhachiticum et scrofulosum adhuc viventem. Puellam postea validam edidit; ipsa vero tertio post partum mense apoplectico tacta est impetu, qui incessum difficilem, paralyticam (ut videtur) respirationis difficultatem et animi morbum dementiae persimilem hucusque reliquit. Filiola asthmate corripiebatur et mortua est biennium et sex menses nata. Tertium infantem ante hunc annum peperit, puellam inde a partu tenerrimam et alvi profluvio laborantem, quod decursu temporis augebatur. Quum annicula iam esset infans, tenerrima adhuc magnitudinem adaequabat filiolae sex vel septem mensium et dentibus prorsus carebat: facies pallida erat, crines flavi, oculi coerulei. Lingua sublivida et tumida inter labia erat promissa, thorax male constructus, in latere compressus, prominens in parte anteriore. Alia rhachitidis symptomata non aderant; respiratio extra accessiones non turbata, sine rhoncho mucoso; pulsus nonnihil acceleratus et debilis, cordis ictus parum percipiendus. Ante has sex hebdomades profluvium illud subito evanuit, alvus raro descendens albescebat, apparentibus simul spasmis supra descriptis. Dr. Backhausen, confidens Koppii praeceptis, per aliquot dies carbonem animalem cum calomelane dedit. Pagenstecher die XV. Dec. arcessitus statum infan-

94) Pagenstecher l. c. p. 609.

tis emaceratae invenit calamitosum supra descriptum, sine febri tamen, et sine vitio pectoris organico.

Quum semper diu noctuque vehementissimae adessent accessiones spasmodicae una cum periculo suffocationis, Zinci hydrocyanici gr. iβ. quotidie dedit. Quo remedio in melius inclinabatur morbus; faeces normalem receperunt colorem. Bis quotidie Zinci hydrocyanici gr. ii. deinceps dabantur. Oculi et facies hilares (27. Dec.); lingua antea aperte tumida et promissa retrahebatur. Spasmi pectoris nonnisi ter vel quater quotidie apparebant leves et celeriter transeuntes. Per triduum Zincum hydrocyanicum non sumtum erat. Usque ad 14. Ianuarii infans satis valens non afficiebatur spasmis pectoris et profluvio alvi, quum febre denuo corriperetur et tussi; haec autem celeriter transibat in pertussin (tunc temporis ibi epidemicam) quae eandem domum iam intraverat. Contra spasmos pectoris summa vehementia redeuntes Zincum hydrocyanicum denuo adhibebatur; verum tantae impetuum violentiae aegrota non poterat resistere. Debilior in dies evadebat; febri, pertussi et spasmis pectoris accedebat profluvium alvi biliosum et convulsiones universales. Attonita iacebat infans per aliquot horas et moriebatur pridie Calendas Febr.

SECTIO COLLI, PECTORIS, ABDOMINIS INSTITUTA DIE PRIMA FEBRUARII.

Sectio colli.

Larynx, epiglottis, trachea eorundemque membrana mucosa prorsus normales; nullum mollitiei, laxitatis

inflammationis, crassitudinis vestigium. Nervi vagi et phrenici consistentia et color normales. Venae colli omnes subatro sanguine repletae.

Cavitas thoracis.

Glandula thymi qualibet ratione, forma, magnitudine, colore, situ plane normalis; duos lobos promittebat compluribus altis incisuris distinctos; plana erat, tenuis, coloris carnei, in superiore margine magis rubicunda, sine succo lacteo, cavernis et pathologicis concrementis. Lôborum unus tres digitos longus, alter tres digitos et novem lineas; latitudo coniunctorum in margine superiore digitus et dimidium, singulorum octo lineae. Glandulae pondus post detractam circumvelantem telam cellulosam aequabat tantummodo centum et duo grana. Pulmones bene evoluti, omni ex parte molles, per aerem admodum extensi, in dissecando crepitantes, magis lividi quam in huius aetatis morbis esse solent, plus sanguinis continentes quam plerumque invenitur post mortem nulla respirationis turbatione allatam. Bronchi nonnihil continebant muci spumosi, membrana vero eorum mucosa haud praeter consuetudinem rubicunda. Cor prorsus normale, pariter atque trunci arteriarum. Cor dextrum et venae maiores multo sanguine subnigro repletae; cor sinistrum vacuum. Foramen ovale firmiter prorsus occlusum. Ductus Botalli plane obliteratus.

Cavitas abdominis.

Ventriculus et intestina sana, sicuti et hepar nonnihil tantummodo solito maius, cuius parenchyma nil ostendebat insoliti. Vesica fellis permagna, repleta

bili prasino, cuius vestigia quaedam in duodeno reperiebantur.

B. *Casparii* [95]) *casus.*

C a s p a r i o iam anno 1823 hic morbus abripuit infantulum triginta et octo hebdomadum adhuc sugentem, qui dispositionem rhachiticam, uti videtur, prae se ferebat. Mater biennio ante partum operationem herniae cruralis incarceratae subire debuerat, et biennio post partum phthisi est absumta. Morbus incipiens a tussi rauca et celerrime decurrens die sexto atque decimo quarto plures vehementes faciebat impetus in infantem, qui die 20., postquam appetitum potus significaverat et sursum in incunabulis erat erectus, subito extinguebatur. In cadaveris sectione organa respiratoria inprimis perscrutatus est C a s p a r i u s; glandulae thymi in sectionis diario nulla facta est mentio. Pulmones pleurae saccos omnino explebant, distenti erant quasi per auram flando immissam, valdeque crepitabant. In lobo sinistro inferiori nonnulli apparebant loci emphysematosi. Trachea et bronchia, quorum superficies interna rubicunda, multum continebant muci spumosi. Cor sinistrum vacuum, dextrum vero inque primis atrium multo sanguine subatro repletum.

Intestina abdominis sana, canalis intestinalis admodum voluminosus, glandulae meseraicae magnae quidem, sed molles.

---

95) Caspari l. c. p. 236.

C. *Brünnii* [96]) *casus.*

Hic casus adnumerandus est sine dubio morbis hucusque descriptis, licet Brünnius ab hypertrophia thymi, quam duarum drachmarum (!) reperiebat, asthma credat proficisci. — Mater duarum prolium asthmate abreptarum debilis erat et sensibilis. Prima infans sub asthmatis thymici symptomatis mortua non dissecabatur. Tres proles mater postea peperit; una puella cum puero sana manebat, altera fiebat asphyctica.

Infans in universum sana et sensibilis quum esset annum et sex menses nata, per nimium vagitum difficultate spirandi strangulabatur; qui impetus post aliquot dies rediens postea quoque aliquoties est repetitus: adhibitis vero remediis roborantibus prohibebatur aliquot menses, per quod tempus admodum hilaris erat aegrota. Alvi deinde profluvio vehementiore, quod accedebat, magnopere debilitata, impetu illo denuo tentabatur. Post paucas hebdomades febris catarrhalis, proclivitas ad diarrhoeam, supradictaeque accessiones vehementius repetitae, ita quidem, ut puella, postquam asphyctica per horae quadrantem fuerat, licet sat alacris rursus et mentis suae compos facta esset, paucis diebus post sub vehementi paroxysmo moreretur, coelo admodum calido (20° R.).

In sectione glandula thymi iusto maior aperte cernebatur, quatuor digitos longa, gravis duas drachmas; partem pericardii tegebat, in superiore praesertim parte erat crassa, sternum inter vasaque maiora incarcerata,

96) Schmidt, Jahrbücher der in- und ausländischen Medicin. I. Bd. p. 317.

atque cavernam continebat. Dexter cordis ventriculus paululum dilatatus, foramen ovale non omnino occlusum; cor dextrum sanguine repletum, sinistrum vacuum. Pulmo dexter tumidus. Ceterum nil abnorme.

D. *Sequens casus in Xenodochio obstetricio, quod floret auspiciis Professoris Dr. Ill. Kilian observatus est.*

Catharina L . . . . h, viginti tres annos nata, validae constitutionis, quae nunquam aegrotasse se affirmabat, si excipias, quod ante novem abhinc annos brachium fregerit, die XIX. Dec. 1835 sat facile primum edidit partum eundemque foemineum, vitam alto clamore manifestantem manuque adiacentia corripientem. Metrorrhagia atonica, quae statim secuta est, tollebatur secundinis caute solutis citoque extractis, irritationibus in regione umbilicali et infra per manum institutis, fomentis denique frigidis ad genitalia appositis et situ quieto. Exinde facies puerperae antea rubescens pallidior, vertigo, pulsus frequens et plenus, sensibilitas in explorando abdomine. Cetera bona. Post horam fere dimidiam nova haemorrhagia, ita ut brevi temporis spatio puerpera in toto quatuor sanguinis libras ad minimum amitteret. Secuta sunt statim pallor faciei, vertigo, caligo oculorum, aurium susurrus, pulsatio carotidum, palpitationes cordis, pulsus frequentissimus, undulosus; deinde quinque ad sex leipothymiae breves, quibus sanguinis emanatio sedata est. Lochiorum postea fluxus et mammarum functiones normales. Secundo die sequebatur vehemens dolor capitis, qui appositis triginta hirudinibus et septem unciarum venaesectione tol-

lebatur. Dolores deinde lacerantes in crure sinistro, qui adhibito emplastro vesicatorio et infricata tinctura thebaica evanescebant. Puellae valetudo secunda usque ad diem 2. Ian., si blepharitidem neonatorum excipias, quae sinistrum oculum ab initio, tum dextrum invadebat et fomentis frigidis propemodum sanabatur. Die 2. Ian. vehementer vagire incepit; suctus nihilominus bonus cum ceteris functionibus. Die 3. Ian., quum vagitus adhuc maneret, sub vesperam dosis pulveris Hufelandi infanti porrigitur, quo sumto singultus et respiratio rarior apparuit.

4. Ian. Alvus infantis noctu bis soluta; paulo post subito filiola livescebat per totum corpus. Decumbit in lectulo resupina, immota, facie tumida, oculis clausis, dormienti similis; spiritus rarus et irregularis. Cordis ictus regulares sed debiles. Frigus totius corporis, inprimis extremitatum. Labia pudenda tumentia, sublivida. Multum in vagina muci tenacis. Extremitates inferiores aliquando attractae. — Hirudines duae post aurem. Fomenta frigida supra caput.

Aegrota, quam primo vidi die 4. Ian. sub vesperam, rigida et resupina iacebat in gremio matris; facies tumida, modo livida, modo pallida; oculi clausi interdum aperiebantur simulque ad exteriorem partem versi videbantur; cornea oculorum absque splendore; pupilla immobilis, ceterum neque supra normam contracta, neque dilatata. Labia sublivida et tumida, inter quae lingua rigida eundem prae se ferens colorem erat promissa. Collum in regione glandulae thyreoideae tumidum et quasi inflatum. Respiratio iusto tardior; interdum, interpositis duabus vel tribus minutis vel minoribus etiam spatiis, tres aut plures inspirationes una seque-

batur longa expiratio. Peculiarem expiratio edebat sonum, gementi suspirio haud absimilem; qui sonus aeque clare etiam per stethoscopum in regionibus praesertim mammalibus audiebatur. Inter spiritum ducendum murmur respiratorium debile sine omni strepitu alieno cylindri ope audiendum. Ictus cordis regulares, sed pro aetate tardiores, 75; impulsus praeter normam debiles. Percussio omnia ostendebat normalia. Labia pudenda maiora tumefacta, colore plumbeo; introitus vaginae muco flavo, viscido obtectus. Extremitates plerumque immobiles, disiectae, et inferiores nonnunquam ad abdomen attrahuntur. Pollices in manus impressi; arteriae radialis pulsus regularis et debilis. Calor totius corporis diminutus. — Moschi granum unum cum magnesia alba; pediluvia et maniluvia sinapisata.

Vespere hora circiter XI. inspirationes multo rariores, ceteroquin indolis supradescriptae, donec 5. Ian. mane hora V. sine peculiaribus phaenomenis quiete et luminis instar obiit.

Sectionem

eodem die institui duce Praeceptore Ill. Prof. D. Kilian.

Cadaver resupinum iacebat; temperatura cubiculi 12⁰ R.

In cavitate pectoris et collo.

Sonus percussionis satis clarus.

Glandulae thymi situs normalis a glandula thyreoidea ad dextrum usque cordis ventriculum: pondus, detracta tela cellulosa, centum et triginta grana; dissecta parum succi lacti similis ostendebat. Venae colli et pectoris omnes sanguine subatro et parum liquido

valde extentae. Cor maximam partem inter pulmones prominebat: atrium dextrum instar vesicae extensum. Foraminis ovalis pars tertia posterior aperta. Nullum vitium valvularum; cor de cetero magnopere evolutum. Pulmones et praesertim quidem dexter admodum repressi, laete rubentes, natabant supra aquam sicuti et minimae partes abscissae; in dissecando ubivis crepitabant. Trachea, larynx prorsus normales. Bronchia nullum continebant liquorem spumosum. Epiglottis aperta.

In ore.

Lingua sublivida incarcerata inter processus alveolares et ad labia usque prominens. Nulla dentium provenientium indicia.

In capite.

Integumentis usque ad galeam aponeuroticam detractis, in utroque osse parietali sugillatio sanguinis apparebat, tres digitos longa, forma fere rotunda. Ossa cranii his in locis pariter sanguine abundantia; nulla tamen laesionis indicia reperta. Sinus durae matris sanguine valde distenti, sicuti et vasa piae matris. In cerebri corpore semiovali Vieusseni substantiae cinereae magnitudo longe superabat substantiam medullarem, speciemque gelatinosam prae se ferebat. Multa in dissecando inveniebantur puncta sanguinolenta, eoque plura, quo propius accedebatur ad ventriculum lateralem. Nulla in ventriculis exsudatio. Plexus choroideus sanguine non abundabat. In medulla oblongata nil abnorme.

In cavitate abdominis.

Curvatura ventriculi minor, eiusque superficies anterior superior rubescens magnamque vasorum copiam exhibens; qui quidem rubor aqua lavando nequaquam evanescit. Odor moschi sumti in ventriculo bene percipiendus. Intestina, hepar, lien, ceteraque abdominis organa nil abnorme ostendebant.

§. 10.

Si omnia nunc de asthmate thymico iam proposita consideramus, facile apparet, amplificatae thymi glandulae minime tribui posse causam huius morbi. Missis enim illis, quae contra asthmatis huius originem ex vasis aliisque organis per thymi glandulam pressis Casparius aliique protulerunt (cf. §. 8.), morborum tamen historiae supra propositae (cf. §. 9.) falsam esse Koppii sententiam egregie demonstrant. Quibus in casibus omnibus thymi pondus duas drachmas non excedebat: cuius glandulae pondus *normale* testibus Haugstedio et Tiedemanno (§. 4.) *tres* adeo drachmas adaequare potest. Huc accedit, thymi glandulas supra modum evolutas inveniri in cadaveribus hominum, qui viventes nulla respirationis turbatione laboraverant. (cf. Haugstedii et Mayeri casus §. 6.). Koppianae porro opinioni repugnant casus, ubi subito et sine ullis prodromis accessio apparet: quae res longe aliter se haberet glandula sensim sensimque amplificata. — Extatne omnino, quaerere poteris, relatio quaedam inter abnormem glandulae thymi formationem atque hanc asthmatis speciem? An huiusmodi nexus plane negandus est? Frequens glandulae hypertrophia

in infantibus hoc ipso morbo correptis (quae quidem glandulae abnormitas alias perraro invenitur) nexum certe quendam causalem significare videtur.

An turbata respiratio causa est amplificationis? Ego quidem negaverim: pertussin enim, anginam membranaceam aliosque similes respirationis morbos nonnisi perraro thymi hypertrophia sequitur. Quantum mihi quidem videtur, (si meam qualemcunque hac de re sententiam preponere licet), haec asthmatis species et glandulae thymi amplificatio tanquam *coordinati* effectus uni causae *communi* sunt subordinatae. Cui opinioni favent Lobsteini 97) observationes, qui glandulae hypertrophiam in infantibus plerumque rhachiticis et scrofulosis docet inveniri. Eosdem quoque saepissime ab asthmate, quod thymicum vocatur, premi inter omnes constat.

---

97) Lobstein l. c. Tom. I. p. 54.

V I T A.

Ego, Francisc. Adolph. Christ. Becker, natus sum Wahlscheidii haud procul a Sigoburgo anno 1811. die V. Nov., patre Sigismundo Becker, rei divinae ministro, quem ante hos novem annos apud Remscheidenses ecclesiastico munere fungentem durissimum fatum et mihi et meis abripuit, matre Elisabetha Scheibleri filia, quam hucusque superstitem veneror. Institutus sum primum a carissimo fratre Carolo Becker, Med. et Chirurgiae Doctore, postea vero in scholis quae Remscheidii et Gummersbachii florent: patre deinde mortuo Volbergium me contuli ad fratrem dilectissimum Fridericum, cuius solerti institutione per tres annos gavisus sum. Anno 1830 Marburgensem adii universitatem, ubi a Prorectore Magnifico Hessel in numerum civium Academicorum receptus sum. Anno 1831 universitatem Bonnensem petii, ibique superato examine maturitatis die XV. Iulii Rector Magnificus Ill. a Droste-Hülshoff in numerum studiosorum et Decanus spectatissimus Harless in album Facultatis medicae me inscripserunt. Per quadriennium et semestre, interposita unius anni absentia medicinae vacavi.

Praelectiones, quibus interfui, hae sunt:

1. *Philosophicae.* Physicam experimentalem mihi tradidit Ill. Gerling; Chemiam experimentalem Ill. Wurzer; logicam et psychologicam Ill. van Calker; zoologiam Ill. Goldfuss; mineralogiam Ill. Noeggerath; botanicam generalem Ill. Treviranus.

2. *Medicae.* Osteologiam, anatomiam tam generalem quam specialem mihi tradiderunt Ill. Bünger, Ill. Mayer et Ill. Weber, qui viri, excepto Büngero, duces quoque mihi fuerunt in secandis cadaveribus. Encyclopaediam et methodologiam medicinae et physiologiam Ill. Müller. Institutiones in pathologiam generalem, therapiam generalem, materiam medicam et doctrinam de cholera indica Ill. Harless. Doctrinam de morbis syphiliticis Ill. Albers. Doctrinam de ossibus fractis et luxatis atque de instrumentis chirurgicis Ill. Nasse iunior. Therapiam specialem Ill. Naumann. Artem formulas medicas concinnandi, pharmacologiam, medicinam forensem et doctrinam de epizootiis Ill. E. Bischoff. Chirurgiam, doctrinam de morbis oculorum, de operationibus et de fasciis chirurgicis applicandis, anatomiam item chirurgicam Ill. Wutzer. Artem obstetriciam, doctrinam de instrumentis obstetriciis et de morbis mulierum Ill. Kilian. Therapiam tam generalem quam specialem, physiologiam et pathologiam cerebri Ill. Fr. Nasse.

Exercitationibus in clinico medico pathologico et therapeutico per biennium interfui duce et moderatore Ill. Nasse; in exercitationibus in phantomate instituendis et in clinico obstetricio dux mihi fuit Ill. Kilian per annum; in operationibus in cadavere instituendis

atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico per tria semestria Ill. Wutzer.

Omnibus his praeceptoribus summopere de me meritis summas quas possum habeo semperque habebo gratias.

Chirurgi militaris munere in septima equitum cohorte per annum duce Dr. Kallmann functus sum.